



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

3 Quos effectus habeat causa finalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

dicitur negatio amoris propter aliud: in qua negatione consummatur ratio ultimi. Contingit tamen ut quamvis aliquod obiectum propter se & propter bonitatem suam ametur, nihilominus vel natura sua, vel ex intentione operantis, referatur & tendat in ulteriorem finem, ut cum quis facit eleemosynam, & quia honesta sit actio in ratione misericordiae, & quia est accommodata ad satisfaciendum Deo pro peccatis. Tunc ergo vnus finis ordinatur ad alium, quanquam sub ea ratione qua ordinatur, non habeat rationem finis sed medii. Ille igitur finis, qui immediate propter se amatur, dicitur finis proximus: alius vero finis ad quem alter ordinatur, dicitur remotus: quod si in illo sistat intentio operantis, erit etiam ultimus: si vero in ulteriorem finem ille ordinetur, erit tantum remotus, non tamen ultimus: quia vero non potest in infinitum procedi, sistendum erit in aliquo qui sit ultimus.

XV. Atque ita facile constat necessitas prædictæ diuisionis, nam quia intentio agentis necessario debet in aliquo fine immediate versari, quia alias nunquam inchoaretur, ideo necesse est esse aliquem finem proximum, est enim ille quem proximè & immediate agens intendit tali actu seu intentione. Non est autem simpliciter necessarium, ut præter finem proximum detur remotus, quia potest intentio agentis sistere in vno fine: tamen quia potest etiam in ulteriorem finem tendere, ideo præter proximum dari potest finis remotus. Et similiter quamvis aliquis finis ultimus semper sit necessarius, eo quod non proceditur in infinitum, non est tamen necessarium ut finis ultimus semper sit distinctus à proximo: nam si voluntas in vno tantum fine sistat, quod facere potest, erit simul proximus & ultimus, saltem negatiue, id est, post quem non est alius: quando vero plures sunt fines subordinati, tunc necesse est hos fines esse distinctos. Atque hinc fit, ut quamvis contingat plura media inter se subordinari, ut primum sit propter secundum, & secundum propter tertium, & sic vsq; ad finem, qui propter se amatur: si tamen nullum ex illis mediis amatur propter se, sed pure ut medium propter aliud, nullum eorum habeat rationem finis proximi, aut remoti sub prædicta ratione: sed ille finis ad quem ordinatur tota medijs series, licet videtur remotus in ratione obiecti voliti & materialis, tamen in ratione finis est proximus, seu primus in quem ut in finem tendit voluntas, & erit etiam ultimus, si non in alium finem ordinetur.

XVI. Si vero finem consideremus sub alia habitudine, scilicet, quatenus propter ipsum aliquid eligitur aut fit, sic facilius est distinguere illas tres rationes finium non solum in rebus, quæ propter se appetuntur, sed etiam in rebus, quæ sunt pure media, quæ propter aliud eliguntur. Nam quando ad vnum finem plura media inter se subordinata eliguntur, necesse est dari primum & ultimum medium, tam ordine intentionis, quam ordine executionis: in neutro enim ordine potest in infinitum procedi: alias vel electio, vel executio nunquam inchoaretur. Dicitur autem primum medium ordine intentionis, id quod est immediatum fini, quodque primo eligitur, post intentionem finis: & illud ipsum est ultimum in executione. E contrario vero illud medium quod est in ordine eligendi postremum, est in executione primum, nam ubi finitur electio, inde incipit executio, ut paulatim per media vsq; ad consecutionem finis perueniatur. Hoc ergo medium, quod est in executione primum, & in electione ultimum, nullam habet rationem finis, quia nec propter se amatur, cum tantum sit medijs, nec etiam aliud amatur propter ipsum, cum in illo finita sit electio, tamen secundum medium habet iam rationem finis proximi, respectu medij prioris quod propter ipsum electum est. Tertium autem medium habet rationem finis remoti, respectu primi medij: & sic potest per plures fines

magis vel minus remotos procedi, donec sistatur in ultimo, quod semper necessarium est, cum non possit in infinitum procedi. Atque ita satis constat illa diuisio quantum ad expositionem terminorum pertinere: nonnulla vero quæstiones, quæ ex illa oriuntur, in discursu disputationis tractabuntur commodius præsertim duæ scilicet, an media participant aliquo modo causalitatem finis, & an necesse sit constitui, e aliquem finem ultimum, ubi etiam varias acceptiones finis ultimi declarabimus, & an habeat propriam & per se causalitatem, quatenus finis ultimus est, seu remotus.

SECTIO III.

Quos effectus habeat causa finalis.

Priusquàm de ratione causandi finis dicamus, agendum videtur de effectibus eius, ut ab his quæ nobis notiora sunt procedamus. Et quoniam, ut supra dixi, nunc consideramus finalem causam respectu voluntatis create, per quam agentia intellectualia operantur propter finem, duplices effectus huius causæ considerare possumus: quidam sunt intra ipsam voluntatem, & sunt actus vel affectus ab illa elicit: alii sunt extra voluntatem, & sunt effectus, qui extra ipsam prodeunt ex efficacia, vel imperio, seu motione ipsius per proprios actus eius.

Est igitur in primis certum, causam finalem, prout nunc illam consideramus, per se primo, ac maximè causare al. quem actum vel affectum in voluntate ipsa. Hoc est receptum omnium consensu, satisque ostendi potest rationibus, quibus in sectione primo ostendimus dari causam finalem: nos enim per effectus in causarum cognitionem peruenimus: per nullos autem effectus ita cognoscimus causalitatem finis, sicut per eos quos habet circa humanam voluntatem, quæ sui metaphoricæ motione allicit, ut & ipsum amet, & per conuenientia media quærat, donec illam consequatur, & in eo quiescat.

Prima difficultas, de causalitate finis circa interuenientes actus voluntatis.

Difficultas vero est, an omnes actus, qui in hoc progressu interueniunt, sint à fine, ut à propria causa in suo genere, an vero non omnes, sed aliqui eorum, & quoniam illi sint. Ut autem percipiatur ratio difficultatis, distinguere oportet plures actus, qui in hoc negotio interueniunt. Quidam tendunt directe in finem, vel secundum se absolute, ut simplex voluntas eius seu amor, vel ut consequendum per media, sicut intentio: & hi actus antecedunt non solum consecutionem finis, sed etiam electionem mediorum. Alii sunt actus, qui proximè versantur circa media, quamvis ratione finis: & huiusmodi proprie est electio, quam antecedit consultatio & inquisitio mediorum, quæ quatenus ad inquirendum finem necessaria est vel utilis, ad media reducitur, & quatenus voluntaria est, sub electionem quo dammodo cadit, vel ad illam reuocatur. Et hæc duo genera actuum, dicuntur pertinere ad ordinem intentionis, quia non solum finis consecutionem, sed etiam executionem mediorum antecedunt. Post ordinem vero intentionis sequitur ordo executionis, in quo similiter possunt duo alia genera actuum distinguere: quidam enim versantur circa mediorum executionem, per vnum eorum, quem actum vocant. Alii versantur circa finem, ut in consecutionem & possessionem, scilicet fructus, vel gaudium, quod etiam quies animi dicitur, & in eo statu potest etiam durare amor.

Est ergo circa hos actus prima generalis difficultas, quia finis solum est causa mediorum: nullus autem ex his actibus est vere & proprie medium ad finem obinendum: ergo nullus eorum. aufatur a finē. Maior constat ex definitione finis, est enim id, cuius gratia aliquid fit, quod solis medius proprie convenit. Deinde est specialis & maior difficultas de actibus, qui versantur circa finem, nam illi nullo modo sunt propter finem, ergo non sunt effectus finis. Antecedens patet, quia illud est propter finem, quod procedit ex amore vel intentione finis, nam illud esse propter dicitur ordinationem ad finem ortam ex aliquo priori actu: sed intentio finis non oritur ex alia intentione, nec amor ex amore, alioqui esset processus infinitum, ergo. Vnde, sicut assensus conclusionis est ex principio, assensus autem principii non est ex principio, ita voluntas mediū potest esse ex fine & propter finem: voluntas autem finis non ita. Tercio augetur difficultas in iis actibus, qui versantur circa finem iam consecutum, nam finis non causat postquam comparatus est: consistit enim eius causalitas in morione, consecuto autem fine iam quiescit animus: cessat ergo omnis motio: ergo & causalitas finis. Vnde Aristoteli de Generat. text. 55. dicit, adepti fine, cessare actionem: cessante autem actione etiam cessat causalitas finis, quia ubi non est causa efficiens, nec finalis esse potest, ut infra docebitur.

Prima difficultatis resolutio.

Vt clarioribus incipiamus, dicendum primo est, vsum seu executionem mediorum per se ac proprie esse effectum causae finalis. De hac conclusionē nulla est controuersia, nec dubitandi ratio, quia hic actus non solum procedit ex affectu & intentione finis, sed etiam vere ac proprie dici potest medium ad finem. Quia licet nomine vsus & executionis finis hic non intelligamus solum externum vsum vel executionem, sed etiam internum actum, quo voluntas applicat membra vel instrumenta ad exequendum medium: tamen tota illa actio ut includit tam imperantem actum quam imperatum, vere ac proprie dicitur esse medium ad finem: ergo effectus etiam propriissime effectus finis. Et confirmatur, nam electio est de mediis: quando verò media talia sunt ut per vsum actuum voluntatis exerceri debeant, etiam ipse vsus actuum sub electionem cadit: nam eligitur ut medium tota illa actio humana, quae ex interno, & externo actu coalescit: ergo etiam actus internus voluntatis quo proxime fit executio externi mediū, habet rationem mediū ad finem: ergo est etiam effectus ipsius finis.

Dico secundo: Electio mediorum verè ac proprie est effectus causae finalis. Probat per primo, quia ille actus est propriissime propter finem: sed per hanc verba maxime declaratur causalitas finis: ergo ille actus est ex causalitate finis. Secundo: ille actus procedit ex intentione finis, & ex ratione ordinante medium ad finem: sed in his videtur potissimum consistere causalitas finis: ergo. Tercio, talis actus pendet essentialiter ex fine, quia non versatur circa media, nisi ratione finis: quin potius ipsa media electa non sunt effectus finis nisi media electione: ergo multo magis necesse est, ut ipsamet electio sit effectus finis. Et haec rationes aequè fere confirmant præcedentem assertionem.

Neque contra has assertiones obstat prima ratio dubitandi in principio posita. Primo quia non tantum media sunt propter finem, sed quicquid a fine essentialiter pendet, & ex illius amore procedit. Deinde quia ipsamet electio non incongruè dici potest medium ad finem. Quod potest explicari ex iis, quae supra diximus tractando de potentia formaliter libera: quod nimirum actus ab ea elicited, est intrinsece voluntarius, seu volutus per modum actus: ipsa

ergo electio cum sit actus elicited a voluntate, est etiam intrinsece voluta: non est autem voluta nisi propter consequentem finem: quia licet res, quae eligitur, propter finem eligatur, ita ipsamet electio propter finem exercetur. Ut, qui eligit elemosinam ad satisfaciendum pro peccatis, non solum refert in eum finem ipsam elemosinam, quam eligit, sed etiam ipsam volitionem quam illam eligit, nam ad eum finem necessaria est illa electio, & in ea reperitur ea bonitas, & utilitas, quae inuenitur in medio ad finem intentum comparato. Et confirmatur primo, nam consultatio est mediorum ad finem, & si contingat voluntatem actu ducto, & formali velle consultare, quod saepe accidit, illa volitio re vera est eadem medium ad finem: quia non ob aliud vult quis consultare, nisi ut pareat sibi viam ad finem obtinendum: ergo similiter si voluntate propria, & reflexa velit hic & nunc eligere, ut etiam potest, illo actu vult electionem ut quoddam medium, quia etiam vult illam propter finem, sicut consultationem: ergo etiam quando hoc non faciat distincto actu & reflexo, ipsamet electio, eo modo quo est intrinsece voluta, intrinsece est quoddam medium ad finem, ratione cuius voluta est: ergo vere ac proprie effectus finis.

Dico tertio: Actus qui versantur circa finem ipsū & antecedunt, vel antecedere possunt ordine intentionis consecutionem eius, sunt vere & proprie effectus finis. Circa hanc conclusionem inuenio non nullam diuersitatem inter auctores: quidam enim eam admittunt de actu intentionis, vel desiderio, non vero de primo actu amoris, seu simplicis voluntatis. Et ratio esse potest, quia desiderium, vel intentio supponunt amorem finis, & ab eo procedunt, & ideo possunt causari a fine medio amore sui, & propriissime dicuntur esse propter finem, vel gratia finis: & ideo esse possunt effectus finis. Amor autem non supponit alium actum vel amorem finis, a quo procedat: & ideo non est ex amore finis: nec etiam est formaliter propter finem, quantum est ex directione ipsius voluntatis: non est ergo effectus finis in genere causae finalis, sed solum in genere obiecti, efficientis, vel specificati iuxta varias opiniones. Et hanc sententiam videtur tenere Ferrariensis contra Gentiles, capite 75. dicit enim, licet res quae est finis, amari possit, nihil ad ipsam ordinando, tamen non exercere causalitatem finis, donec aliquid propter ipsam ametur, & fundatur in verbis Dni Thomae ibi dicentis, causalitatem finis in hoc consistere, quod propter ipsum alia desiderantur. Tamen ibi Dnus Thomas non dicit hanc esse adequatam causalitatem finis, sed pertinere hoc ad causalitatem finis. Alii vero de omnibus his actibus conclusionem admittunt, cum quadam tamen moderatione, scilicet, quod hi actus re vera sint effectus finis, non tamen ita proprie aut non ita perfecte sicut priores: quod sumi potest ex Gab. in 2. dist. 38. notab. 2. & Gregorio quem ipse citat ibi, art. 1.

Alii nihilominus simpliciter affirmant finem esse proprie finalem causam horum actuum, ut Henricus 2. par. Summæ articulo 46. questione sexta. Et in hoc sensu posita est assertio, quam mihi sumo ex Dno Thoma 1. 2. questione prima, articulo primo, ubi simpliciter ait, omnes actus humanos esse propter finem: & consequenter esse effectus finis: nam haec duo conuertuntur, sicut esse ab agente, & esse effectum agentis, comprehendendo sub effectu actionem ipsam. At vero hi actus, de quibus nunc agimus, sunt vere actus humani, nam procedunt ab homine ut rationalis est, imo etiam sunt liberi saltem pro ista. tu huius vitæ, ut supra disput. 18. sect. 3. probatum est, ergo.

Atque hic confici potest prima ratio, nam homo quatenus exercet has actiones, etiam primum amorem finis, operatur propter finem, & non operatur ut ab alio motus in finem, sed ut proxime & im-

mediate

VIII.

IX.

X.

mediate motus ab ipso fine secundum propriam & formalem rationem eius: ergo hi actus sunt propter finem ut causati ex propria motione finis ut finis est: ergo sunt effectus finis ut finaliter causantis. Consequentia sunt evidentes, quia causalitas finis propriissima est per dictam motionem. Maior etiam patet, quia illa actio non temere & casu fit, sed ad determinatum scopum ex instituto tendit: hinc autem colligimus actionem aliquam esse propter finem. Minor etiam est satis clara, quia in quolibet illorum actuum homo operatur illectus & attractus a fine cognito, non utcumque, sed quatenus est bonum quoddam propter se diligibile, quæ est propria quædam habitudo & formalis ratio finis: & ex vi huius cognitionis homo ita operatur in ea actione, ut ipse seipsum dirigat & moueat in talem finem, & in formalem bonitatem eius. Atque hæc ratio sumitur ex Diuo Thoma dicto articulo 1. ubi non aliter probat actum humanum esse propter finem, nisi quia est ab obiecto voluntatis sub ratione finis, id est, ut exercet propriam causalitatem finis: & 3 contra Gent. cap. 2. ratione quinta, sic ait: *De agentibus per intellectum non est dubium, quin agant propter finem, agunt enim præconcepientes per intellectum id, quod per actionem consequuntur, & ex tali præconceptione agunt.* Hæc autem verba applicari possunt etiam ad simplicem amorem ipsius finis.

XI.

Secundo hoc amplius declaratur in ipso amore: potest enim dupliciter considerari: primo ut diu est tendit in obiectum, secundo in reflexione virtuali in se ipsum cadit, eo videlicet modo quo supra dicebam huiusmodi actus esse intrinsece voluntarios. Priori consideratione causatur à bonitate obiecti ut cognita, & mouente appetitum ad amandum talem rem propter bonitatem suam: & ita vere causatur ab obiecto ut à fine, non quidem ut à fine extrinseco rei volitæ, sed ut à fine proprio & intrinseco ipsiusmet actus amoris qui in illum tendit. Atque ob eandem rationem dicitur vere ac proprie talis actus esse propter finem, non tanquam propter extrinsecam rationem volendi, sed quia est propter intrinsecam bonitatem eius, & ex propria eius motione. In quo (quidquid alij dicant) eadem est ratio amoris & intentionis, nam etiam intentio non est propter finem, qui sit intrinseca ratio volendi, sed quia tendit in finem propter se ipsum & propter intrinsecam bonitatem eius: illa autem differentia, quod intentio supponat priorem actum amoris, nihil ad rem præsentem refert, ut statim declarabimus. Tandem ex communi modo loquendi constat, vere ac proprie dici amare nos finem propter se ipsum, vel propter bonitatem suam: sicut amamus Deum: hæc autem particula *propter*, attributa fini cum proprietate, declarat causalitatem eius: ergo hæc locutiones veræ sunt propter causalitatem finis circa talem actum. Vnde hæc etiam ratione, cum Deum super omnia amamus, dicimur illum amare ut ultimum finem, quia re vera exercet circa nostrum amorem propriam causalitatem ultimi finis, & talis actus non in alium finem tendit, neque excitatur nisi à suprema bonitate talis finis, ipsi voluntati proposita.

XII.

Posteriori etiam consideratione virtuale reflexionem includente apertissime constat talem actum esse propter finem, quia etsi amari possit propter suam honestatem (quod non est extra rationem causandi finalem) tamen re vera amatur propter obiectum in quod directe tendit tanquam propter finem: eo scilicet modo quo supra de electione dicebamus. Quamvis in electione magis appareat quædam ratio medii ad finem quam in amore, quia amor non ita ordinatur ad consequendum finem sicut electio. In quo etiam videtur esse nonnulla differentia inter desiderium seu intentionem, & amorem finis: nam desiderium cum ex sua ratione supponat carentiam finis consecuti, est aliquo modo medium ad consequendum illum,

imo est veluti quædam inchoatio inquisitionis eius, quod eadem vel maiori ratione verum est de intentione: amor verò ex ratione sua non supponit carentiam consecutionis finis: & ex hac parte minus participare potest rationem medii. Sed hæc differentia nihil obstat, quo minus ipse amor sit verè causatus a fine, quia, ut supra dicebam, hæc causalitas non limitatur ad sola media, sed extenditur ad omnem actum qui verè sit propter finem, & ex propria eius motione. Eo vel maxime quod etiam amor quando antecedit consecutionem finis, quatenus excitat & mouet ad illum inquirendum, potest dici vtilissimum medium ad consequendum illum. Adde denique amorem ex ratione sua abstrahendo ab hoc vel illo statu amanti tendere ad finem, ut illi vniat & coniungat amantem: vnde quatenus ipsemet amor virtualiter aut formaliter amatur, propter hunc finem amatur: ergo propter finem quem pro obiecto habet, amatur: ergo ab eodem fine causatur.

Quod optime potest confirmari ex doctrina Diui Thomæ in quartum distinctione 49. questione 1. articulo primo, quæstione secunda, ubi ait, *Cum voluntatis obiectum sit finis, hoc ipsum quod est velle, & quilibet alium voluntatis actum non esse aliud quam ordinari aliquid in finem, & ideo necessario supponere aliquem finem obiectum in quem ordinatur.* Addi etiam potest ex Capreolo in 1. distinctione. 1. questione prima ad primum, contra tertiam conclusionem, hunc amorem quia antecedit finis consecutionem, ordinari in finem in ipsius rei amare consecutionem & fruitionem: & hoc modo etiam esse posse effectum causæ finalis. Et in discursu illius articuli & solutionum argumentorum multa dicit & congruit ex doctrina D. Thomæ quæ ad hanc sententiam confirmandam conferre possunt. Denique etiam hic amor potest ordinari in ipsum amantem ut in finem Cui, quatenus illum perficit, & vnit aliquo modo suo fini obiecti: ergo ex hoc etiam capite potest esse effectus finalis causæ.

Dico quarto: Actus voluntatis, qui versantur circa finem iam consecutum, numerari etiam possunt, & debent, inter effectus finalis causæ. Probatur, nam hi actus tantum esse possunt aut amor, aut gaudium, de quibus controuersum est, an sint actus distincti prout versantur circa finem iam adeptum: quod tractat late Capreolus citato loco: nunc de eis loquamur ut de distinctis, siue re, siue ratione differant. Actus ergo amoris ut sic eiusdem rationis est circa finem, qui propter se amatur, siue ille finis sit iam possessus, siue non: ergo, si amor secundum se, vel qui antecedit consecutionem finis, est effectus finalis causæ, etiam amor ille, qui manet sine iam consecuto, est effectus eiusdem finis. Patet consequentia, quia eodem modo causatur amor in viroque statu ab obiecto cognito alliciente voluntatem ut ipsum propter se, & propter bonitatem suam amet. Atque ita D. Thom. 1. 2. questione 23. articulo quarto, & questione 26. articulo secundo, eodem modo attribuit causalitatem finis, seu obiecto boni amoris eius in viroque statu, imo & delectationem ut statim dicam. Vnde etiam rationes omnes, quibus probauimus primam voluntatem seu amorem erga finem, esse effectum finalis causæ, idem probant de ultimo amore, maxime cum probabile sit eundem semper esse, ac persistere posse.

De gaudio autem, quatenus est quid distinctum ab amore, videtur esse nonnulla dubitandi ratio: tum quia est veluti passio quædam necessario consequens possessionem finis amati, tum etiam quia est veluti vltima quies animi, ad quam cætera ordinantur, etiam ipse amor, ipsa vero non ordinatur ad aliud, & ita non videtur habere finem a quo causari possit. Sed nihilominus probatur etiam de hoc actu assertio posita, nam reuera gaudium non est mera passio, sed est actus vitalis ab ipsa voluntate elicitus, &

& causatur in suo genere ab obiecto per se bono, & per rationem propositam, & inuitante voluntatem ut in ipso, & in possessione eius quiescat & gaudeat propter illius bonitatem: sed hæc causalitas obiecti non est alia quam finalis, quantum ad hunc motionis modum, quidquid sit an aliunde interueniat etiam causalitas effectiua inter illos actus; quod nihil ad præsentem questionem refert. Et confirmatur primo, nam ipsa delectatio ex natura rei ordinatur, ut in finem, in actionem ipsam ad quam consequitur, tanquam perfectio quædam, & decor eius, & ut conferat ad constantiam & facilitatem eius: ergo etiam delectatio, quæ consequitur ex fine consecuto ordinatur ad ipsammet consecutionem finis, ut ad finem quem suo modo perficit, & firmat: ergo si delectatio intellectualis sit, & consequatur ex illo fine perfecte cognito, & proposito voluntati causabitur ab illo in genere finis. Vnde, licet delectatio dicatur esse quid vltimum via generationis, tamen in ordine finium secundum se non est simpliciter vltimum, quamuis interdum possit ab appetente sumi ut vltimus finis Cuius. Et tunc etiam ipsa delectatio ordinatur ad ipsummet qui delectationem capit, ut ad finem Cui, & ex hac parte potest esse effectus causæ finalis.

Negue contra hanc, & præcedentem conclusionem virgent rationes prius factæ. Ad primam enim iam responsum est, non sola media esse effectus causæ finalis, sed omnem actum qui ad finem confert, vel ad illum ordinatur, vel tanquam medium, vel tanquam perfectio possessionis eius: ac denique quidquid est ex propria motione finis præconcepti, & propositi secundum propriam rationem boni propter se diligibilis. Ad secundam, negamus hos actus non esse propter finem, nam reuera amamus Deum propter ipsum, & delectamur in Deo propter ipsum. Neque ad hoc necessarium est ut actus, quia causatur à fine, seu dicitur esse propter finem, cauetur ex prioris amore finis, sed satis est quod causetur ex bonitate ipsius finis alligantis voluntatem. Quamquam delectatio quatenus est actus ab amore distinctus, re vera causatur ex amore: delectatur enim aliquis in fine possessio quia amat illi. illa verò causalitas quatenus est inter actus, magis pertinet ad quædam modum efficientiæ, vel naturalis resultantiæ, quam ad causalitatem finalem, quam nunc inquirimus. Hæc ergo magis consideranda est ex habitudine actus ad obiectum seu finem, & ex peculiari modo quo res intellectualis mouetur à fine ad huiusmodi actus. Ad tertium respondetur, quamuis delectatio dicatur quies, non tamen esse inotuo modo (ut ita dicā) ut est naturalis quies, quæ constituit in sola calientia motus, sed esse vitalem quietem, quæ non est sine interna actione: tamen quia illa non est ad obtinendum & inquirendum finem, sed ad fruendum finem iam possessio, ideo dicitur animi quies. Quatenus ergo proprius actus est ac vera actio, potest esse effectus finis. Quod vero Aristoteles ait, consecuto fine cessare motum vel actionem, intelligendum est de motu, quo tenditur ad consecutionem finis, non vero de interna actione, qua quiescitur in fine. Imo addit Dñus Thomas in quartum distinctione 48. questione secunda, articulo secundo, ad primam rationem in oppositum, quod tunc cessat motus habito fine, quando talis motus non concomitatur ipsi finem, seu consecutionem eius: sicut cælum consequitur suum finem mediante suo motu, non tamen cessat, quia ad illum finem necessarius est ille motus: sciigitur non cessat interna actio amoris vel delectationis consecuto fine, qua concomitatur talem finem, & ad ipsius perfectionem est necessaria: & ideo respectu talis actionis non cessat causalitas finis.

Hic vero oriebatur difficultas Theologica, præsertim ex vltima conclusione, nam hinc sequitur, i-

psium amorem & fruitionem beatificam vere ac proprie causari à Deo viso, vel à visione eius in genere causæ finalis: & consequenter illos actus vere ac proprie esse propter finem, quod videtur inconueniens, cum illi actus sint simpliciter necessarii. Sed quia res est Theologica, breuiter respondeo, concedendo illos actus esse ex causalitate finis, id enim æquè probant omnes rationes superius factæ. Nec quicquam obstat quod sint necessarii, imo in superioribus dixi, necessitatem illius amoris prouenire à Deo clare viso ut vltimo finē, cuius summa bonitas tam est potens in causando etiam in eo genere, ut omnino sibi subiiciat voluntatem. Denique illa necessitas non prouenit ex imperfectione, aut ex irrationali modo operandi, sed potius ex summa perfectione, tum ipsius finis vltimi, tum etiam modi applicandi illum per cognitionem rationalem seu intellectualem perfectissimam ad mouendam voluntatem: & ideo nihil obstat, quo minus illa voluntatis motio quantumuis necessaria, sit ex propria causalitate finis. An vero satis sit ut ille amor necessarius dicatur actus humanus nec ne, tractatur à Theologis, & pertinet magis ad moralem Philosophiam quam ad Metaphysicam.

De effectibus externis finalis causæ.

Diximus hætenus de effectibus, quos causa finalis habet intra ipsam voluntatem causæ agentis à proposito: nunc superest dicendum de effectibus, qui exterius prodeunt à tali causa, id est, extra ipsam humanam voluntatē, ita ut sub his effectibus comprehendantur tum actus omnium aliarum facultatum ipsius hominis, scilicet intellectus, sensuum &c. tum etiam externi effectus, si qui sunt, qui per has actiones resultent. In qua re duo sunt certa & extra controuersiam. Vnum est, actiones omnes naturales, quas homo exercet sine imperio seu motione voluntatis, non esse effectus causæ finalis, eo speciali modo, quo nunc loquimur: huiusmodi sunt actiones omnes animæ vegetatiuæ, quatenus sunt mere naturales: & actus sensuum, vel etiam intellectus, quatenus interdum antecedunt motionem voluntatis. Et ratio est, quia causalitas finis quatenus proprie versatur circa agentia à proposito, quæ se ipsa mouent in finem, primo per se est circa voluntatem, & supponit sufficientem applicationem talis causæ per intellectum. sed in his actionibus quæ non procedunt ex motione voluntatis, non sic mouetur homo ex fine, sed agit ad modum aliorum agentium naturalium, ergo. Vnde talis modus agendi per se non requirit propriam & rationalem cognitionem ipsius finis. Imo & in ipsomet intellectu cognitio vel apprehensio ipsius finis, si naturalis sit, & nullo modo à voluntate, non procedit à cognitione finis, sed est ipsa cognitio finis: & ideo non procedit ex causalitate finis ut sic, prout est propria agentium à proposito. Quod idcirco semper addo, quia in his actibus naturalibus operatur homo propter finem, sicut alia agentia naturalia, de quibus postea videbimus quid in eis sit operari propter finem, & qualis in eis esse possit causalitas finis. Atque in hac assertionem sic exposita nulla relinquitur difficultas.

Secundo certum est, omnes actiones, & effectus earum, quæ procedunt ex imperio & motione voluntatis creatæ operantis propter finem, esse effectus causæ finalis. Probatur primo ex modo loquendi & sentiendi omnium, nam quando homo deambulat propter sanitatem consequendam, talis deambulatio censetur esse effectus sanitatis præconceptæ, & intēte, & ideo dicitur esse propriissime propter finem, non ex directione alicuius extrinseci agentis, sed ipsiusmet operantis, quod hac ratione vocatur agēs à proposito: & idem est de omnibus similibus. Et quando

XVIII.

XIX.

per

per has actiones fit aliquis terminus permanens in facto esse, ille etiam censetur effectus finis præconcepti, vel in fieri dum actu fit, vel in facto esse cum posset permanere: quomodo dixit Aristotel. instrumenta esse propter finem: & similiter domus, & alie res artificiales sunt effectus alicuius finis præconcepti. Ratio vero est, quia finis mouet ad has omnes actiones: ergo omnes sunt effectus eius. Item tales actiones prout ab homine sunt, pendent essentialiter à fine ut causante: quia non possunt aliter ab homine fieri: ergo sunt effectus finis. Item illæ actiones sunt media quibus comparatur finis intentus: sed finis non solum causat intentionem, vel electionem: sed etiam mediorum executionem: imo in hac maxime videtur relucere eius causalitas.

XX.

Dices: Interdum actio imperata à voluntate non est medium, sed ipse finis intentus, iuxta quandam diuisionem superius datam, quod finis interdum est res acta, interdum ipsamet actio, ut cytharizatio, aut contemplatio: ergo tunc saltem non erit actio propter finem, etiam si procedat à voluntate: ergo non erit causata à fine. Respondetur, ut iam supra notauimus, nullam esse actionem, quæ si proprie sumatur ut actio est, non habeat aliquem terminum intrinsecum propter quæ sit, ut cytharizatio ipsa quatenus est motio quædam efficit quendam sonum proportionatum, qui est qualitas quædam artificiosè composita: & hoc modo omnis actio est aliquo modo medium ad suum terminum, & ea ratione potest esse causata ab illo ut à fine. Si vero de ipso termino loquamur, vel comprehendatur sub actione per modum vnus, sic non est proprie medium, supposito quod sit finis vltimus in sua serie: tamen nihilominus licet sit finis Cuius, potest habere finem Cui. Nam Cytharizatio ut fit ab homine, est, propter ipsum operantem: vel si talis actus sit finis formalis, potest esse propter obiectum, ut contemplatio est propter veritatem ipsam. Atque ita semper omnis actio, quæ est imperata à voluntate, est effectus alicuius finis præconcepti.

XXI.

Circa hanc vero posteriorem assertionem occurrant duo breuiter explicanda. Primum est tactum supra sectione prima, quia ex dictis sequitur idem esse causam sui ipsius, quod videtur absurdum. Et sequela patet in primis, quia operatio imperata à voluntate sæpe est vera causa finalis, quæ apprehensa mouet ad sui executionem, & non tantum ad desiderium vel intentionem: ergo executio illius operationis est effectus eiusdem operationis apprehensæ per modum finis: illa autem executio non est aliud ab ipsamet operatione, ergo. Deinde quia consecutio finis (siue in operatione consistat, siue in sola inhaerentia alicuius formæ, vel in alia simili habitudine) est vltimus effectus causæ finalis, ut finis curationis est sanitas non vtcunque, sed ut mihi inhaerens, & me efficiens, & hoc est vltimum quod causatur ex vi illius intentionis: & idem est proportionaliter in reliquis. Sed primus finis, qui mouet, & causat vsque ad hunc effectum, est ipsamet consecutio finis ut apprehensa: causat ergo seipsam.

XXII.

Respondetur in primis nullum esse inconueniens hoc totum concedere, quia in causa finali non interuenit ea repugnantia, quæ in causa efficiente, ut non possit esse causa sui ipsius, quia non requirit preexistentiam realem ad causandum, sed sufficit intentionalis, media apprehensione: cum ergo finis causet prius quam habeat existentiam in actu, mirum non est, quod possit, in suo genere concurrere ad suam existentiam. Atque ita concedimus, rem eandem secundum diuersas condiciones existendi, posse causare seipsam, nam intentionaliter existens causat se ipsam ut realiter sit. Neque hoc est diuersum ab eo, quod communi axiomate dicitur, illud quod est primum in intentione, esse vltimum in executione, vel quod etiam Aristoteles dixit, formam & finem concurrere in

idem numero, quamuis forma & efficiens solum possint concurrere in idem specie. Forma enim, seu effectus formalis eius, est effectus agentis, & ut sic est etiam effectus finis, qui excitauit agens ad operandum, quique non est aliud ab ipsa forma. Deinde vero addimus, nullam esse finis consecutionem, quæ non sit aliquo modo propter finem, ut obiectum, si illam habeat, vel saltem propter finem Cui, qui semper supponitur ad causalitatem finalem, & ut sic non est effectus eius: atque hoc modo semper effectus finis etiam vltimus distinguitur aliquo modo ab adæquata causa finali. Tandem consecutio finis vltimi vel simpliciter vel in aliqua serie, non causat se immediate, sed proxime causat in intellectuali agente, de quo nunc loquimur, affectum & intentionem, & alios actus, quibus mediatis peruenit eius causalitas vsque ad illam actionem, qua finis ipse comparatur, & in qua consistit: & ita semper concurrat aliquid distinctum ab ipso ad huiusmodi causalitatem.

Sed tunc occurrit explicanda altera difficultas proposita, nimirum, qualis sit hæc causalitas finis circa actiones vel res externas, manâtes à motione voluntatis. Est enim in his specialis dubitandi ratio, quæ actus interni elicit à voluntate habent realem & intrinsecam habitudinem ad ipsum finem ut ad proprium obiectum, vel formale simul & materiale, ut in intentione, & aliis actibus qui proxime versantur circa ipsum finem, vel formale tantum, ut in electione mediorum: & ideo recte intelligitur, ipsum finem per se ac proximè excitare ac mouere ad tales actus: & è conuerso tales actus per se & intrinsece pendere à causalitate talis finis. At vero actus imperati tantum à voluntate (& multo magis effectus eorum) nullo modo excitantur proximè ab ipso fine, neque ipsi dicunt intrinsecam habitudinem ad finem, sed solum per extrinsecam denominationem dicuntur ordinari in finem mediis interioribus actibus, vnde ambulatio exterior mere extrinsecus ordinatur ad sanitatem. Ex quo videtur sequi primo, finem non per se, sed per accedens esse causam huiusmodi effectuum, eo modo quo applicans vel excitans efficientem causam dicitur esse causa effectus causati ab illa, vel eo modo quo auus est causa nepotis, quia genuit patrem eius: sic enim finis est causa actionis externæ, solum quia genuit internam. Deinde videtur sequi ex vi huius causalitatis finis, nihil rei poni huiusmodi actionibus & effectibus externis per se loquendo, sed solum extrinsecam denominationem, quæ non est satis ad causalitatem realem. Sequela patet, quia inde solum habet actus exterior ut ordinetur medio interiori ad talem finem, quod solum est denominatio extrinseca in ipso exteriori. Cuius signum est, nam si contingeret illam exteriori actionem, vel propter alium finem, vel casu, & sine villo fine fieri, in se & in sua entitate non mutaretur, nec minueretur, neque actio Physica qua sit, esset alia ergo signum est non causari per se ab illo fine, sed tantum remote, & per accedens. In causis enim efficientibus, licet contingat eundem effectum qui fit ab vna causa, posse causari ab alia, tamen si sit causa per se, ne esse est saltem actionem esse diuersam ut in superioribus traditum est: vnde si ex mutatione causæ, neque effectus, neque actio mutatur, signum est talem causam, nec per se, nec immediate influere in talem effectum: idem ergo, proportionè seruata, erit in præsentia.

Hæc difficultas postulat, ut explicemus quid sit causalitas causæ finalis, vel quid ponat in suis effectibus, quod sequenti sect. præstabitur, & in fine eius difficultati satisfaciemus.

**